

ratis Mediolanum accedere tutum esset : alii celeritate utendum ; a victoriæ cursu , quæ jam secunda , ac felici aura aspirare cœpisset , nullo pacto deflecentum ; fieri non posse , ut tria Germanorum peditum , quinque Hispanorum millia , parva equitum manus , in maxima annonæ angustia urbis adeo vastæ spatiū adversus copias , equitum robore , æneis tormentis , ducum præstantia , Italicae militiae flore prævalidas tueri posint : quocirca tantas ultro oblatas spes gloriæ , ac præmiorum urbis præcipuæ , quæ caput belli erat , potiundæ non deserendas . Urbinatis ea fuit sententia , ut lento gradu Mediolanum versus proficisci oporteret ; donec Helvetii , quos rumor ferebat in Italiā contendere , nostris se adjungerent , quorum mille , jam jugis Alpium superatis , in Bergomatem agrum descendederant , ac iter ad exercitum arripuerant .

Interim , qui in arce Mediolanensi obsidebantur , cum pane ex farina furfure admixta vesci cogerentur ; neque diutius adventantia auxilia præstolari possent ; tertia vigilia noctis ducenos milites ex arce emiserunt , qui recta per munitiones hostium , qua segnius excubias agi prospexerant , vi , si opus foret , patefacto aditu , Melenianum contenderent ; ibi Franciscum Urbini Ducem , copiarum Venetarum imperatorem , Franciscum Guicciardinum , Petrum Pesareum ; Pontificis illum ; hunc Venetorum Legatum , adeuntes , ad extrema redactos obsessos significant ; præ ciborum inopia macie confecta militum corpora vix ad arma sustinenda satis esse ; ni cito auxilia præsto sint , brevi arcem ditione ad hostes transituram ; ducem cum obsessis omnibus in Hispanorum ducum potestatem venturum ; quo nil , vel ad summorum principum auctoritatem , famamque minuendam , vel ad præstantissimorum ducum , qui in armis ætatis florem contriverant , gloriam corrumpendam deteritis accidere posset . Imperator , ac Legati , Sfortianis constantiæ stimulis injectis , et si difficillimum putarent , Cæsareanos veteranos milites urbe amplissima expellere ; attamen ad portam , quam Romanam vocant , copias dirigunt ; eo consilio , ut si intra urbis moenia se Cæsareani continerent , suburbia a nostris caperentur . Itaque nonis julii ad Buffoletam , & Pilastrellos , quæ quingentos circiter passus a Mediolano distant , castra habentur , non sine spe aliqua , ut hostes nostrorum